



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Capvt CXXXI. Examinis Qvotidiani formula.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

EXAMINIS QVOTIDIANI
formula.

§. **E**Xamen verò conscientia, ne inconsiderate tractetur ac sine fructu, videndum est quid ante, quid post, quid in ipsa examinatione facto opus sit. In iis autem quæ præcedunt primum est illud, vt examinationis naturâ cognoscatur.

Quid conscientia examinationis.

§. Est ergo examen conscientia, vt & ante indicauimus, nihil aliud quàm vitæ nostræ actionumque singularum recognitio, æstimatio & expensio quædam siue collatio cum regula diuinorum præceptorum propriique instituti, vt quæ praua sunt vel imperfecta corrigantur & absoluantur, non secus atq; Pictores oculos identidem & manus referunt ad opus informatum. Vel est quædam quasi collatio tabularum. Deo enim inspectante rationemque exposcente tabulas accepti expensiq; conferimus, inspicimusq; à Deo accepta bona vel naturæ vel gratia, quæ ille suæ gloriæ nostris & proximorum vsibus voluit deseruire, quam in rem & quam prudenter impensa sint, eequa illis accessio per industriam nostram, vel imminutio per socordiam sit facta.

Ante examē animus ad se aduocandus

§. Alterum est, vt animum paulo ante tempus examinationis colligamus, quo quietius in eam vnam curam toti incumbamus.

§. Tertio vt in ipso ad examen accessu Dei præsentiam agnoscens cum summa animi demissione veneremur & adoremus.

§. Quarto loco sequetur actio gratiarum de beneficiis acceptis, quæ ad hæc tria capita reuocari possunt

sunt. Alia sunt naturæ creatio scilicet, conseruatio, & gubernatio. Alia sunt gratiæ quorum caput est Christus, & quæcunq; sunt Christi. Secundo loco sunt Sacramenta per quæ quasi per quosdam riuos ad nos merita Christi Dei permanant. Tertio est gratia ipsa cum innumerabilibus bonis quæ secum affert. Postremo est vocatio ad inculpatam sanctamq; vitam. Alia denique sunt beneficia gloriæ, quod scilicet pias actiones nostras Deus cum ipsi nos totos, infinitis nominibus debeamus, remunerare velit tanto præmio æternæ felicitatis, ipsius scilicet visione, caritate, fruitione, tanto ante, id est, ab æternitate preparata. Ad hæc gratiarum actio breuis esse debet, sed studio & affectu plena in colloquii formam, in qua commemoranda sunt propria & priuata beneficia, & quæ præsertim ab ultimo examine accesserint.

§. Nec hic existimandum est sine causa positum esse, vt concessa nobis cœlitus dona ad memoriam reuocemus. Beneficiorum enim commemoratio est, quædam bonorum à Deo nobis creditorum recognitio atque enumeratio, in quorum administratione quam fideliter versati sumus inspiciendum est, tum illud sit, vt cognito, quomodo Deus te nobiscum gesserit, quomodo ipsi cum Deo nos geramus paulo post recognoscentes, tanto maiore cum dolore & pudore, tenaces, viles, ingratosq; mores nostros cum infinita illa Dei beneficentia comparemus, quanto vnus contrarii vicinitate magis alterum eminet. Post gratiarum actionem sequitur diuinæ opis & gratiæ imploratio dupliciter nobis necessaria, & cognoscenda errata & ad corrigenda.



SECUNDA PARS.

§. Quæ ratio in ipso examine tenenda sit: Primam partem excipit hæc secunda, quæ ut propriè continet examen, ita operæ plurimum & tempus exigit, ad quinque autem capita pertinent ea, quæ sunt examinanda.

§. Primum caput continet illud tempus, quod ab ultimo examine intercessit, ejus temporis actiones singulæ percurrendæ sunt ordine, ne quid vagantes fallat. In actionibus verò singulis examinanda sunt diligenter cogitata, dicta & facta, quod si in eorum aliquo vitium fuerit deprehensum de eo statim dolendum est, ut morbo sine vlla mora, statim ut apparet, medicamentum adhibeat.

§. Caput secundum continet tentationes, sollicitationes ad malum, perturbationes. Primo enim capite pertractato videndum est attentius & separatim, v. ide & quæ fuerint hujusmodi molestiæ & affectus & in iis quomodo quisq; se gesserit.

§. Tam procedendum ad tertium caput quod virtutes complectitur, præstabitque eas omnes percurrere, quæ proprii instituti & muneris sunt, & erga Deum, & erga proximum, & erga nos ipsos requiruntur inspiciendo, quomodo simus ad eas affecti vel parati, quomodo in earundem exercitatione versemur. Succedat his.

§. Quartum caput in quo benefacta & prætermissa reponuntur. Neque hic solum perquirendum erit, quid sit prætermisum ex iis quæ fuerint præscripta & necessaria, verum etiam ex iis, quæ quis cum virtute & fructu efficere potuisset, & quorum aliqua se præbuit occasio. Nam qui talentum Domino retulit sine lucro pœna non capuit. Hinc tandem ad

§. Quinta

§. Quintum & vltimum caput examen descendet, quod caput sex hasce res continet 1. malas propensiones. 2. Perturbationes & animi motus insolitos. 3. Tentationes. 4. malos habitus & vitia. 5. Difficultates in virtutis exercitatione. 6. Impedimenta progressus, videndum erit quibusnam istorum quisque obnoxius sit, & quibusnam vexari soleat vel frequentius vel acerbius. Illud tamen obseruandum est has res considerandas esse hic breuiter & cursim solum ad animi statum explorandum, longam & accuratam tractationem reseruandam esse meditationi, cui hæc inquisitio materiam comparat. Nam Examen locum habet Exploratoris, qui hostes detegit. Meditatio Imperatoris, qui eosdem aggreditur & domat. Vel Examen instar est canis, qui odore feras peruestigat. Meditatio canis, qui eas assequitur cursu & dente comprehendit. Hæc rerum examinandarum quinque capita, qui percurrerit fideliter, neque vnquam desiderabit materiam temporis bene collocandi, neque vllam latebrarum animi sui, aut vitæ spiritualis partem ignorabit.

TERTIA PARS.*Quid agendum post Examen?*

§. Absoluto Examine paulo ante finem temporis destinati tria reliqua sunt facienda. Primum petenda est venia peccatorum, quæ reperimus, deinde proponenda est emendatio, & animus aduersus vitia obfirmandus. Postremò memoriæ & Confessionis causa præcipua noranda sunt breuiter. Is enim qui diligenter conficit tabulas, rationes semper habet expeditas.

Examen Conscientiæ.

Est { vita actionumque cognitio. Et collatio
cum Dei præceptorum institutiõ; ac pro-
pria vocationis regula.

Ejus finis vt { Præua corrigantur,
Imperfecta absoluantur.

Ante Examen.

Colligendus animus.

In ipsius exordio Deus præsens cogitandus & summa
cum reuerentia ac religione adorandus.

	Nature, que sunt	{ Creatio, Conseruatio, Gubernatio.
L Gratiæ de- inde DEO agendę pro beneficiis.	Gratię, que sunt	1. Christus { Merita, ejusq; { Actiones, { Labores, { Cruciatu, { Mors.
		2. Sacramenta per quę tan- quam riuos merita Sal- uatoris ad nos perma- nant.
		3. Gratiã ipsã cum innume- rabilib. donis, Fide, Spe, Charitate, vocatione ad sanctum institutum, vir- tutibus, muneribus spi- ritualibus.
	Gloriã, quę est æterna beatitudo in Dei visione, amore & fruitione consistens, ad quam nos Deus propter Christum elegit ante mundi constitutionem.	

II. Pe.

Post Examen.

1. Petenda venia.
2. Proponenda emendatio.
3. Notanda memoria, quæ confessione expianda.
4. Oratio Dominica loco pœnitentiæ recitanda.
5. Aliqua de nobis pœna sumenda.

Iesu cor meum imbue cordis tui dulcedine,
Nihil velim, nil appetam, quam te tuamque glo-
riam.

Siue mori me Christe iubes, seu viuere maus,
Dulce mihi tecum viuere, dulce mori.

Iturus ad somnum aliquid tecum defer in memoria & cogitatione, ait S. Bernardus, in quo placidè obdormias, quod etiam somnare iuuat & expediat. Caue autem quantum potes, ne totus aliquando dormias, ne sit somnus tuus non requies lassæ, sed sepultura corporis suffocati. Quietè & somno, ait Sanctus Ephrem de vita spiritali cap. 76. tantum tempus impende, quantum cogit ipsa necessitas: quies enim diuturna corpus emolliat, & libidinis ignem facile accendit.

Septem horas dormisse sat est, iuuenique
senique.

CAPVT CXXXII.

DE PRECATIONIS CONCLAVI,
& benedicta aqua.

Locus domi §. **D**Omi suæ aptum orationi locum habeant, vt
separ. tus. Iudith. cap. 8. ver. 5. sic & precandi gratia seces-
sum